



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

67. Caroli V. Imp. Diploma per Ferdinandum fratrem expeditum, Anno  
MDXXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

chiepiscopali perpetuò vniri Apostolicā authoritate contendere atque inniti dicitur; quantum autem hæc res sit contra mentem præfatæ Maiestatis atque in sacri Imperij, ac Ducatus Burgundiæ & Luxemburgiæ detrimentum, iactu- ramque vergat abundè ex diëtis cognoscis exemplaribus: Iniungimus itaque tibi, vt intellecta eorundem series, vna cum Oratore. Cæsareo Illustrissimo Confanguineo nostro charissimo Duce Siceffano apud Beatitudinem præfa- tam, ita studium, operamque tuam adhibeas, quod huic incorporationi nullus detur locus. Denique Monasterij status, vt fuit ab immemorabili tempore transmissus, ad præfati fratri nostri gubernacula conseruetur illæsus, scribimus annexas super eadem re ad Reuerendissimum Dominum D. Datarium, quem inhortamur, vt ad tuam requisitionem ac ipsius Oratoris Cæsarei adsit fauore quoque suo, & adiumento. Expectantes responsum, quod opportunè per tead nos restribi cupimus, vt Illustrissimo Principi, Domino Philippo Marchioni Badensi Confanguineo nostro charissimo illud protinus communicemus, qui mandato sibi à Cæsarea Maiestate expresse factò nequaquam patietur præfa- to Archiepiscopo, etiam si impetrarit ab ista sede tradi possessionem. Datum  
vt supra.

67.

*Caroli V. Imperatoris Diploma per Ferdinandum fratrem,  
expeditum Anno MDXXIII.*

CAROLVS Quintus diuinâ fauente clementiâ Electus Romanorum Im- perator semper Augustus, ac Rex Germaniæ, Castellæ, Arragoniæ, Le- gionis vtriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatæ, Na- narræ, Granatæ, Toleti, Valentia, Galliciæ, Maioricarum, Hispalis, Sardinia, Cordubæ, Corsicæ, Murtiæ, Gienniæ, Algeroniæ, Algericæ, Gibraltario, In- sularum Canariæ, Balearum & Indiarum, ac Terræ firmæ, Maris Oceani, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantia, Stiria, Carinthia, Carniolæ, Limburgiæ, Luxemburgiæ, Gheldriæ, Callabriæ, Athenarum, Neopatriæ, Wirtembergæ, &c. Comes Habsburgi, Flandriæ, Tiroli, Gorithiæ, Barchinonæ, Arthesiæ, Burgundiæ, &c. Comes Palatinus, Han- noniæ, Hollandiæ, Seelandiæ, Ferreris, Kiburgi, Namurci, Rossilionis, Ce- rinthianæ & Zutphaniæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperij super Anatoliam, & Burgouïæ, Oristani, Gotziani, Princeps Sueviæ, Ca- thaloniæ, Asturiæ, &c. Dominus Phrisiæ, Marchiæ, Sclauonicæ, portus Nao- nis, Biscariæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis & Mechliniæ &c. Ad perpe- tuam rei memoriam recognoscimus præsentibus. Cum sedulò nostrorum in Imperio antecessorum liberalitates, quibus Imperij sacri subditos omnium ordinum haetenus affici consueuerunt, perpendimus: Cœnobia seu Mono- steria, quorum Monasticæ exacteque vitæ professio, quoddam veræ religio- nis ac pietatis specimen præstat, non vulgaribus largitionibus ac dotationi- bus, imo speciali prærogatiuâ dignatos comperimus. Quamobrem attenden- tes incolas Monasterij Sancti Maximini in suburbio Ciuitatis Imperialis Tre- uirorum in diuini cultus obseruantiam strenuè deuoto; nostro Imperia- li muneri æquum esse ducimus, si ad Serenissimi Maximiliani Diuæ me- moriæ Domini Aui ac immediati antecessoris nostri charissimi emulationem,

iam

iam dictum Monasterium, nostra quoque munificentia dignaremur. Accessit itaque ad nostram Maiestatem deuotus nobis dilectus Vincentius prænomina-  
ti Cœnobij Abbas, nobisque humiliter offerens litteras à dicto Maximiliano A-  
uo nostro charissimo, quondam Thomæ Prædecessori suo, ac dicto Monasterio  
concessas. Quibus omnia priuilegia, libertates, gratiæ, confirmationes, immu-  
nitates, iura ac feuda dicti Monasterij à Dagoberto Rege ad prænominatum  
Maximilianum vsque data & elargita, inserta continentur, confirmataque cer-  
nuntur. Quæ quidem confirmationis litteræ de verbo ad verbum ordine se-  
quuntur, &c.

Proinde nobis Carolo, præfatus Vincentius Abbas humillimè supplicauit,  
vt prætaetam quondam Maximiliani Aui nostri charissimi confirmationem ac  
concessionem cum omnibus & singulis insertis priuilegijs, libertatibus, gratiis  
& immunitatibus confirmare, corroborare, ac de novo concedere dignaremur.  
Nos vero precibus huiusmodi facile annuentes, iam dicti Aui nostri litteras ac  
concessiones cum omnibus in eisdem contentis, Principum, Baronum ac Pro-  
cerum nostrorum adhoc accedente consilio confirmauimus, corroborauimus,  
& innouauimus, præsentiumque tenore ex certa scientia, & de potestatis nostræ  
plenitudine confirmamus, corroboramus & innouamus, statuentes ac decer-  
nentes, vt præfatæ litteræ in omnibus suis clausulis, punctis, verbis, tenoribus,  
sententis & continentis firmæ, validæ sint, habeantur, & censeantur, perpetui-  
que roboris firmitatem obtineant, etiam dicto Abbati & successoribus suis usum  
& culturam mineralium concedentes, & vt omnium iurum in fundis & possel-  
tionibus ipsorum uti & frui possint, quemadmodum illa haec tenus possederunt: No-  
stris tamen & Imperii sacri superioritate & iuribus semper saluis. Mandantes  
idcirco vniuersis & singulis Principibus, Electoribus, Archiepiscopis (& maxi-  
mè Archiepiscopo & Ciuitati Treuirense) Episcopis, Ducibus, Marchionibus,  
Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Clientibus, Capitaneis, Præfectis  
Ciuitatum, Oppidorum, & locorum Communitatibus & Rectoribus eorundem,  
ceterisque nostris & Imperij sacri fidelibus, dilectis, cuiuscunque status, gradus  
aut conditionis existant. Et præsertim Illustri Philippo Marchioni Badensi,  
Gubernatori Ducatus nostri Luxemburgensis cognato & Principi nostro dile-  
cto, & aliis suis Successoribus iam dicti Ducatus nostri Gubernatoribus, tanquam  
Aduocatis ipsius Cœnobii, quatenus sacerdotum Abbatem, Conuentum &  
Monasterium, ac homines, bona, redditus, prouentus & Iura ipsorum, ab omni-  
bus iniuriis, molestiis, oppressionibus, perturbationibus & violentiis, auctorita-  
te nostra protegant, manuteneant, defendant, & conseruent, quotiescunque  
necessarium erit, aut per ipsos, vel eorum nuntios seu procuratores requisiti  
fuerint. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ confirmationis, cor-  
roborationis, innouationis & decreti paginam infringere, aut ei quis ausu-  
temeratio contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, nostram & Im-  
perii sacri indignationem, & pœnam quinquaginta marchatum auri puri: pro  
vna Fisco nostro, altera vero mediatè iniuriam passorum viibus applicandum,  
se nouerit incursum. Harum testimonio litterarum sigilli nostri appensione  
munitarum. Datum in Ciuitate nostra Imperiali Norimberga, die quarta men-  
sis Decembris. Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio. Re-  
gnorum nostrorum, Romani quinto, ceterorum vero omnium nono.